



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

III. Aliæ terminorum diuisiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

scriptam habere idem subiectum, quod respiciunt tanquam obiectum, & potest dici propositio mentalis obiectiua in ordine ad propositionem formalem mentalem; & vocalis obiectiua in ordine ad propositionem vocalem; & obiectiua propositio scripta in ordine ad propositionem scriptam, similique modo dici habere terminos constitutos formaliter per propositiones illas, quarum sunt obiecta: Nihilominus tantum posse dici illud obiectum habere proprie terminos in ordine ad propositionem mentalem, quia hac tantum simpliciter est propositio, eademque ratione propositio terminos constituit, quia ipsa rationem propositionis participat.

4 Forma constituens terminum mentalem semper est significatiua, quia est cognitio, quae essentialiter est representatio obiecti, & per se ipsam illud exprimit, sicuti imago proprium obiectum. Forma constitutiua termini vocalis, quae est vox, non semper significatiua est, quia cum voces non habeant ex se significare obiectum (idem dicto de scripturis) sed ex libera hominum impositione, eo ipso quod homines impetiti non sint significationem aliquam huic voci, omnino illa carebit. Ob hanc rationem terminus vocalis diuiditur in *significatiuum*, & *non significatiuum*. De natura signi dicam Controuers. 8. Logica, modo tamen illa attingam, quae praecise ad rem explicandam sufficiunt. Signum est quod ordinatur ad aliquid representandum potentiae cognoscituae. Hoc est duplex, vnum *formale*, quod per se ipsum representat obiectum potentiae: aliud *instrumentale*, quod excitat representationem, seu cognitionem obiecti, quae representatio, seu cognitio est signum formale. Signum instrumentale de quo modo agimus duplex est: vnum *naturale*, aliud *ad placitum*. Signum naturale, quod ex natura sua independenter à libera hominum voluntate facit deuenire in cognitionem rei significatae, exemplum vulgo adducitur in fumo, qui nos ducit in cognitionem ignis, & in vestigio animalis, quo ducimur ad cognoscendum animal, à quo fuit impressum. Signum ad placitum est illud, quod supposita hominum conuentione, & non ex sua natura nos ducit in cognitionem rei representatae, sicuti hac vox *homo* nos ducit in cognitionem animalis rationalis, quia placuit hominibus hac voce animal rationale significari, qui eandem ad significandum lignum, vel lapidem potuerunt designare. Vtrumque signum tam in rebus, quam in vocibus reperitur, signum enim naturale reperitur in suspirio, quod signum est tristitiae, & in fumo, aut vestigio animalis. Quae vero sint signa propria, & quae impropria, definiam in Logica. Controuers. 8. Punct. 2. Signum ad placitum reperitur frequenter in vocibus, & in campanae sono, qui significat diuina officia esse celebranda, vel lectionem esse legendam.

His signis ad placitum duplex conceptus correspondet; quidam *ultimatus*, alius *non ultimatus*. Conceptus non ultimatus est cognitio ipsius signi secundum se nudè sumpti. Conceptus ultimatus est conceptus rei significatae per tale signum. Exempli gratia, audio ego Petrum proferentem hanc vocem *homo*, concipio vocem secundum se, hac conceptio conceptus non ultimatus dicitur; concipio insuper animal rationale, ad quod significandum vox hac est imposita, hic conceptus ultimatus dicitur.

PUNCTUM III.

Alia terminorum diuisiones.

1 Terminus mentalis diuiditur in *absolutum* & *connotatiuum*, quia diuisione absolutum non opponitur relationi, sed connotatiuum, cuius essentiam paucis explio. Connotare est simul cum isto aliud notare, cum quo vnus perfectus terminus constituatur. Vnde terminus connotatiuus erit ille qui rem significat per modum alteri adiacentis, nam illud, cui res adiacens significatur connotatum est proprii significati. Terminus absolutus est ille, qui rem significat per modum per se stantis, & non per modum alteri adiacentis, quod enim per se stans significatur, non connotat aliud, cum quo vnus perfectus terminus efficiatur, nomina enim relatiua sicuti *Pater* & *Dominus*, etsi connotent terminum, ad quem referuntur, non cum illo vnum terminum, seu vnum perfectum propositionis extremum constituunt, nomen enim *Pater* per se solum in hac propositione *Pater est generans*, & in aliis similibus, termini com-

pleti, & adequati perfectam rationem habet. Ex hoc inferitur omne nomen adiectiuum connotatiuum esse, quia significatur per modum alteri adiacentis, cum quo vnus perfectus terminus efficitur, & nomen substantiuum esse absolutum, quia rem significat per modum per se stantis.

2 Alio modo terminus diuiditur in *Categorematicum*, & *Synecategorematicum*. Terminus Categorematicus est terminus absolute significatiuus, qui in se categorema seu significationem habet, sicuti *homo*, & *leo*, qui independenter ab alio adiuncto vices termini in propositione habent. Terminus syncategorematicus est terminus consignificatiuus, qui per se solum non habet significationem, nisi valde imperfectam, tamen adiunctus alteri nouam constituit significationem distinctam ab illa, quam haberet sine eo, illud cui adiungitur. Hac ratione ferè omnes vtrumque terminum definiunt, secundum quam in omnium sententia hi termini *omnis*, *nullus*, *aliquis*, *neuter*, *utrumque*, & si qui sunt alij his similes, termini syncategorematici dicuntur; hi verò *homo*, *leo*, & reliqui nomine substantiuo significati, Categorematici omnium plausu dicuntur. Eandem rationem termini categorematici Summulistae omnes impetiti fuerant nominibus adiectiuis, sicut *album*, & *nigrum*: Hurtado verò *disp. 1. sect. 10.* affirmat hac nomina terminos syncategorematicos esse dicenda, quia seiuinctis nominibus substantiuus perfectam significationem non habent, cum enim quis audit *album* adiectiuè significatum, statim dubitat, quòdnam subiectum sit *album*, lignum, lapis, aut paries, & sic de reliquis adiectiuis.

3 Arriaga *disp. 1. sect. 4.* affirmat hac nomina adiectiua partim esse categorematica, partim syncategorematica. Syncategorematica ob rationem, quam adducit Hurtado; categorematica, quia saltem ex parte subiecti possunt per se ipsa poni, quod non conuenit nominibus *omnis*, *aliquis*, *nullus*; dicimus enim *homo est albus*, & non dicimus *homo est omnis*, seu *homo est aliquis*. Displicet hac ratio, quia cum dicimus *homo est albus*, ex parte praedicati subintelligitur idem substantiuum, quod se tenet ex parte subiecti, idem enim est, *homo est albus*, ac dicere *homo est homo albus*. Deinde alij termini, qui apud omnes syncategorematici dicuntur, eadem ratione possunt poni ex parte praedicati: possumus enim dicere, *Petrus est aliquis*, quod si non dicamus, *Petrus est omnis*, seu *Petrus est nullus*, non ideo est, quia positi praedicti termini ex parte praedicati propositiones non conficerent, sed quia conficerent propositiones falsas, sicuti non dicimus *Petrus est infinitus*, *Ioannes est immensus*, aut *Franciscus est omnipotens*, non quia praedictae enunciationes, propositiones non essent, sed quia essent propositiones falsae.

4 Aliud caput inuenio ex quo longe differunt reliqua nomina adiectiua ab illis signis *omnis*, *nullus*, *aliquis*; reliqua enim adiectiua significant formam absolutam realem, vt plurimum realiter distinctam à subiecto, cui adiungitur, sic *album* dicit albedinem; & *calidum* calorem, quae sunt accidentia physica, & realia; illa verò nomina *omnis*, *nullus*, &c. nullum accedens physicum important, quod adueniat subiecto, & se habeat tanquam forma ipsius concreti *omnis*, *nullus*, aut *aliquis*: si enim ab hoc concreto *aliquis*, velis formam abstrahere, sicuti potes abstrahere albedinem ab albo, nullam perfectò inuenies, neque illam reperies in his concretis *omnis*, *nullus*, *alter*, & *neuter*; quod si fortan aliquam vniuersalitatē, vel vniuersalitatē negationem mediteris, hac non erit quid physicum intentionali oppositum, distinctum saltem formaliter à subiectis, seu substantiis affectis praedictis signis.

5 Ob hanc formae significationem nomina adiectiua à praedictis signis distincta terminos categorematicos appellarem, neque huic denominationi obesse dicerem connotationem substantiuorum, quam habent, per quam connotatiua, & non syncategorematica constituuntur: aliàs connotatiuum, & syncategorematicum non distingueretur. Si verò contendas propter praedictam connotationem hac nomina absolute non esse dicenda categorematica, dummodò concedas differentiam à me assignatam, quam haud facillè poteris negare, à communi sententia, in quaestione de nomine discedes, in qua nullus, qui nolit, conuinci poterit.

6 Aduerbia sicuti, *benè*, & *malè* terminos esse mixtos inter

inter categorematicos, & syncategorematicos nonnulli defendunt. Ego aliter sentio, dixi enim punct. 1. per se terminos non esse, sed per modum vnus cum extremo, quod efficiunt, vnum terminum constituit, sicuti in hac propositione *Petrus est currens velociter* & integer terminus categorematicus. Itaque aduerbia, sicuti per se non sunt termini, per se non sunt categorematica, sed eandem rationem subibunt, quam habuerit extremum cui adiunguntur, & cum quo efficiunt vnum terminum adequatum, qui semper categorematicus erit.

7 Alia termini diuisio est in *abstractum* & *concretum*. Concretus terminus dicitur, qui re vel ratione dicitur compositus ex materia, & forma, seu ex natura, & substantia; sic homo, & album termini concreti dicuntur, quia hoc componitur ex subiecto, & albedine, & ille ex natura, & substantia. Dixi concretum re, vel ratione componi, quia persona diuina est concretum importans naturam diuinam, & substantiam absque vlla reali distinctione ipsarum, in quibus nulla compositio intercedit. Terminus abstractus est, qui rem omnino simplicem significat, seu carentem compositione, quia constituit concretum sicuti materia anima, aliisque huiusmodi termini.

8 Iterum diuiditur terminus in terminum *complexum*, & *incomplexum*. Terminus complexus definitur à nostro Toleto, quem plures sequuntur, cuius partes per se sunt significatiue, vt homo iustus. Eadem ratione terminus incomplexus definitur, cuius partes separate non sunt significatiue eadem significatione, quam antea habebant: Additur hæc vltima definitionis particula, vt nomen *Dominus* excludatur à ratione termini complexi, cuius partes de videlicet, & minus separatè significant, non tamen eadem significatione, quam habebant intra compositionem. Non omnino placet hæc definitio, quia in hac propositione *Blitiri, & Sindapsus sunt voces*, complexum illud *Blitiri, & Sindapsus* est terminus complexus, & tamen illius partes separate nihil significant. Similiter in hac propositione *Blitiri prolatum est obiectum auditus*, complexum illud *Blitiri prolatum* est terminus complexus, cuius altera pars separata, videlicet *Blitiri*, nihil significat. Melius definitur terminus complexus si dicatur: Terminus complexus est ille, qui includit intrinsecè, & in se compositionem grammaticalem. Hanc compositionem reperies in omnibus terminis complexis, cum enim dicimus *homo albus*, compositio fit per concordantiam substantiui, & adiectiui: similis compositio reperitur in hoc complexo *Blitiri prolatum*: item si terminus sit complexum istud *Blitiri, & Sindapsus*, compositionem habet ratione coniunctionis, &c.

9 Obicitur contra hanc doctrinam, nomen *proconsul*, & verbum *circumfero*, quæ sunt termini incomplexi & compositi ex præpositione *pro*, & nomen *consul*, & ex præpositione *circum* & verbo *fero*. Consulto appositum in definitione termini complexi particulas illas *intrinsecè, & in se* ne his terminis definitio conueniret, qui neque intrinsecam, neque in se compositionem habent, sed tantum extrinsecam, quod sic ostendo. Ad hoc vt fit intrinsecam compositio debent esse in toto composito partes, quæ adhuc dum componunt se habeant, vt inter se condistinctas, & vnitas vel per se, vel medio alio, sicuti se habent materia, & forma in composito naturali, & homo, & albus in hoc complexo *homo albus*, in quo duas reperiit dictiones vt inter se condistinctas negabit nullus; in hoc verò nomine *Proconsul* (idem dico de verbo *circumfero*) *pro*, & *consul* non se habent tanquam duas dictiones, sed quæ extra compositionem fuerant duæ, in compositione quasi confunduntur, & in vnum conflunt, & per modum vnus profertur. *Proconsul* enim non est nomen cum præpositione ab illo distincta coniunctum, aliàs præpositio casum nominis regeret, sed simplex quoddam nomen, cuius syllabæ ante compositionem nomen, & præpositionem conficiebant, & ob hanc rationem dicitur extrinsecè habere partes, quia potest resolui in illa, quæ extra composita erunt distincta, & vt talia appareant, licet intra compositum per modum vnus appareant, quod impedit intrinsecam compositionem. Hac ratione explicabo Controu. 6. Logice, compositionem speciei ex genere & differentia. Hæc sufficiant in re parui momenti, quam latis inuitus tracto.

10 Alio modo diuiditur terminus in terminum *infinite*

tem, & *non infinite*. Terminus infinitus est ille, qui præposita negatione negat id, quod exprimit, & potest se extendere ad omnia ab isto distincta, sicuti *non lapis*, qui dici potest de omnibus à lapide distinctis, homo enim est non lapis; Angelus est non lapis, & Deus est non lapis, hoc est aliquid distinctum à lapide. Hi termini non efficiunt propositionem negatiuam, quia negatio non cadit supra copulam, sed tantum supra id, quod exprimit terminus, cui adiungitur, & ideo dicitur negatio infinitans, & non negans. Terminus non infinitans est ille, cui prædicta negatio non præponitur, & pro illo supponitur, quod exprimit, sicuti *homo, leo, equus*, &c.

Rursus terminus diuiditur in *copulatiuum*, seu *collectiuium*, & *non copulatiuum*, seu *non collectiuium*. Terminus copulatiuus est, qui significat plura absque vlla physica vnione in recto componentia, sicuti exercitus & populus, qui ex distinctis hominibus, & ex diuersis rebus componuntur. Additur illud *in recto* vt excludantur hæc concreta *armatum, & vestitum*, quæ significant plura absque vlla physica vnione, sed vnum in recto, alterum in obliquo. Terminus copulatiuus est, quinon significat simile plurium aggregatum, sicuti *homo, & equus*.

Iterum termini quidam dicuntur *pertinentes*, alij *impertinentes*, hi sunt neque oppositionem habent, neque se consequentiâ inferunt, sicuti album, & calidum. Pertinentes sunt in duplici differentia: quidam pertinentes seque, sicuti rationale, & homo, qui se mutuo inferunt; homo & animal, quorum prior posteriorem inferit. Alij pertinentes repugnantia, qui inter se oppositionem habent, sicuti calidum & frigidum, in quibus est oppositio contraria.

Deinde terminus diuiditur in *vnuiocum*, *æquiocum*, & *analogum*. Vniuocus est cuius nomen est commune, & ratio significata omnino eadem. Sicuti homo respectu Petri, & Ioannis, &c. quibus nomen commune est, & ratio significata omnino eadem, seu omnino similis. Analogus terminus dicitur, cuius uomen est commune, ratio verò significata, neque omnino eadem, neque omnino diuersa. Sicuti canis respectu latrabilis, & celestis, quibus idem nomen est commune, & ratio significata non omnino eadem, quia canis latrabilis simpliciter est canis; & canis celestis tantum secundum quid per similitudinem ad latrabilem: neque omnino diuersa, cum per similitudinem ad latrabilem, celestis nomen canis fuerit impositum. *Æquiocus* est, cuius nomen est commune, ratio verò significata omnino diuersa, sicuti nomen *gallus*, quod commune est gallo gallinaceo, & homini natione Gallo; ratio verò significata in vtroque omnino diuersa absque vlla similitudine, aut proportionem vnus ad aliud. Multa de his terminis alibi alibi sunt dicenda, quæ importunè, & intempestiue scriberentur; me vide Controu. 1. Metaphysic. vbi de his plura exagito.

Adhuc iterum subdividitur terminus in *transcendentem*, & *non transcendentem*. Terminus transcendens est ille, à quo non possunt præscindi inferiores differentie, in quibus imbibitur. Huiusmodi est in multorum sententia ratio accidentis, & substantie incompletæ, quam reperiit affirmant in vltimis differentiis cuiuscumque accidentis, & substantie. Terminus non transcendens est ille, cuius formalis ratio non imbibitur in inferioribus differentiis, sicuti animal. quod formaliter includitur in rationali, potest enim hoc sine illo percipi. Ex transcendentibus, quædam sunt vniuersalissima, quæ per omnium rerum genera vagantur, & vulgo dictione hæc demonstrantur *R E V B A V*, cuius singulæ litteræ respondent singulis illorum initialibus, sunt enim *res, ens, verum, bonum, aliquid, vnum*, quæ omnia conueniunt cuiusque entitati assignabili. De his quæ ad transcendentiam, & ad terminos transcendentis attinet disputo Controu. 1. Metaphysic. Punct. 4. & 7. vbi me vide, hic enim ad rem non esset latius expendere.

Omitto aliam diuisionem termini in *communem*, *particularem*, & *singularem*, de qua dicam Controuers. 3. Punct. 3. vbi de quantitate propositionis.